



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvtii Ordinis F. Minorum de
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis
neceßarium**

Cambi, Bartolomeo

Coloniae, 1606

De tentationibus in oratione occurentibus. Cap. 19.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

Quarta plantæ nomen est Tentatio: sub cuius umbra tentationes vulgatiores, quæ circa orationis exercitium occurrere possint, perdiscendæ sunt. sunt verò nouem.

*Tentationes
in oratione
occurrentes.*

*Tentationes nouem in oratione
occurrentes.*

Prima est. Zelus indiscretus proximorum salutem constituendi.

Secunda. Immoderatum desiderium scientiæ.

Tertia. Desperatio seu diffidentia profectus. Et è contrario præsumptio perfectionis adeptæ.

Quarta. Somnus superfluus.

Quinta. Timor inordinatus.

Sexta. Cogitationes infidelitatis.

Septima. Cogitationes blasphemiarum.

Octaua. Cogitationum importunarum lucta.

Nona. Consolationum spiritualium absentia.

Remedia contra primam.

Contra tentationem indiscreti zeli proximorum salutem curandi: Remedium est: aliorum saluti eatenus inten-

intendere, quatenus nostrum profectum minimè impediunt: & aliorum conscientias ita curare, vt nostre non obliuiscamur: ne dum alijs saluti esse volumus, nobis ipsis damno simus.

Contra secundam.

Contra desiderium scientiæ, remedium est: Considerare quanto profundior omni humana & mundana scientia sit diuina sapientia, atque pro hac potius adipiscenda laborare.

Contra tertiam.

Contra diffidentiam & præsumptionem, quæ vitia è diametro repugnant, cõtraria etiam necesse est adhibere remedia.

Contra diffidentiam itaque remedium est: Considerare te negotium hoc non tuis tantummodò viribus, sed principaliter diuina opè perfecturum.

Contra præsumptionem remedium est: Considerare, clarissimum iudiciũ nos quàm longissimè à Deo abesse,

abesse, hoc haberi: nos ei iam appropinquasse sentiamus. Itaque optimum remedium fuerit: Sanctorum & aliorum hominum pietate ac vitæ integritate clarorum, adhuc in viuis existētium, exempla sibi proponere ac inspicere, qui multa egerunt & agunt, quæ tu necdum impleuisti.

Contra quartam.

Contra somnum, si ex natura necessitate proficiscatur: remedium est: corpori necessarium somnum indulgere, ne orationis tempore somni grauedo nobis impedimento sit. Si verò ex Dæmonis procuratione aut pigritia proueniat: opus est in certamen descendere: victum sibi subtrahere: victum ciborumq; apparatus moderari: flexis genibus sine vlllo fulcimento precibus incumbere: flagris, alapis ac pugnis se cædere, collum acriter ferire, aut aliud quod dolorem inferat assumere: Generale denique remedium est: opem diuinam pro vigilantia dono implorare.

Con-

Contra quintam.

Contra timorem & metum Dæmonum: Remedium est: Eodem loco consistere: animum confirmare, & viriliter cum aduersario decertare: quia non nisi conflagando vires & audacia contra eum acquiruntur. Considerare adhuc Dæmonem nemini sine Dei voluntate, vel minimum nocere posse. Iuuabit etiam, perpendere: Angelum custodem omni tempore ac loco nobis adesse, & speciatim dum orationibus intenti sumus, lateri nostro hæerere, vt nos tueatur: & orationes nostras diuino conspectui præsentet, nosq; in orando adiuuet.

Contra sextam.

Contra infidelitatem, Remedium est: Cogitare suam humilitatem & vilitatem: & è contra diuinorum operum magnificentiam, quam non nisi simplices & humiles ex diuina reuelatione cognoscunt. Ac proinde qui cogitationibus infidelitatis premitur, humiliet se, nec opera Dei sua sapientia peruestigare conetur.

PARS SECVDA. 287

netur: sed Deo tantum simpliciter in illis obediat, eaque firmiter credat, & ei profunditatem suae sapientiae relinquat: Consideretque salutem suam non in cognitione rerum sublimium, ac secretorum diuinorum consistere, sed in simplici obedientia & feruenti amore Dei.

Poterit etiam vti remedio sequentis tentationis, cum haec tentatio de genere earum sit, quae cum molestissimae sint, per contemptum facilius superantur.

Contra septimam.

Contra blasphemiam Remedium est: Cogitationes blasphemiae negligere atque contemnere. Etenim sicuti haec tentatio inter omnes grauissima ac molestissima est: ita & caeteris minus est periculosa.

Contra octauam.

Contra cogitationum importunitatem Remedium est: Fortiter consistere, atque in conflictu ad finem usque persistere: diuinam opem humiliter implorare, suam vilitatem & imbecillitatem agnoscere, diuinam ve-

ri

ro misericordiam ac magnificentiam exaltare ac prædicare: patienti deniq; animo vniuersam hanc molestiam deuorare, quousque Deus misericordia motus, hos cogitationum fluctus conquiescere iubeat.

Contra Nonam.

His quibus consolationes spirituales defunt, hoc remedium est: Ut eam ob causam viam coeptam non deserant, sed precibus vacent: conscientiam diligenter examinet: & si quid inuenerint, ob quod diuinas consolationes sibi ablatas esse censere possint, humiliter à Deo veniam postulent.

Totus enim labor noster in eò versari debet, vt preces quantum fieri potest protrahamus: id que tantum cum attentione ac feruore, vt cor tota die in sancta deuotione contineant, atque in Deo collectum seruent: ad quod non sufficit breuis oratio, sed quàm longissima & attentissima, quo profectus noster, non impediatur & retardetur.

Domine